

09
kt

M.s. 204

324.

Aug. II. 16501 18

DIATRIBE POSTERIOR
QVA DE
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
**APOPHTHEGMATVM
OPERE**
IN PRIMIS DE HVIVS IPSIUS EXEMPLARI
QVOD BEATISSIMVS VIR
D. MARTINVS LVTHERVS
OLIM POSSESTIT
CVIQUE IS IPSE COMMEMORABILIA ADSCRIPSIT NON NVLLA
QVAEDAM DISSERIT
QVI SINGULARIS HVIVS LIBRI IAM POSSESSOR EST
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL
AED. A SPIR. S. DICT. PAST. ET MART. RECT.

IDEM SIMVL INDICIT
ACTVM DECLAMATORIVM
IN MARTINEO HALBERSTADIENSI
A. D. XV. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CICCI
DEO O. M. PROPITIO HABENDVM
CVIQUE VT BENEVOLE INTERSINT
IVSTVM QVI ELEGANTIORIBVS LITTERIS
CONSTITUVNT PRETIVM
OMNI STUDIO CONTENDIT.

HALBERSTADII TYPIS FRIDERICIANIS

CONSPECTVS.

Apophthegmatum operis ab Erasmo diuulgati exemplar, de quo iam agimus, posse fuisse Lutherum, atque ea, quae huius libri margini adscripta sunt, bunc ipsum agnoscere auctorem, non reiciendis comprobamus argumentis, §. I. De titulo libri pleniore, de typographeo, ex quo hic prodiit, memorabili, deque iudicio Lutheri adscripto, ex quo hic ipse liber odiorum in Christum et suos plenus esse censetur, differimus, §. II. Insolens Erasmi ostentatio, qua hic uir iusto plus apophthegmatibus a se collectis tribuit, ipsique eadem scripturae sacrae praepone uidetur, Lutheri subit uituperationem, §. III. Erasnum, qui in apophthegmatibus suis Christum facit leglatorem, adeoque ipsius opus reconciliationis non recte expendit, naturae opera atque gratia non probe discriminat, simplicitatem christianam explodit, iure meritoque Lutherus hominem talem esse existimat, qui odiorum librum in Christum conscripsit, §. IIII. A doctrina Christi alienissimos ueris praefert christianis Erasmus, horumque pietatem uirtutibus illorum postponit; atque humillimi spiritus poetas imitatur, §. V. Pauli Apostoli mansuetudinis Erasmus plane immemor, omnium praeclarissimum ex Tito Vespasiano huic uirtutis sumendum putat esse exemplum, §. VI. Pugnantia inter se ab Erasmo prolata et dolendi et ridendi Lutheru adserunt causas, §. VII. Christianorum seruatorem suum pie coelantium apophthegmatibus, quorum ratio in epist. Pauli ad Coloff. cap. III, com. 6, describitur, hominum profanorum eximie dicta longe sunt postponenda, §. VIII.



§. I.

PROMISSVM anno superiore factum nobis exsoluturis tractatio de argomento minime iniucundo altera in lucem est proferenda. Quacret statim hic quispiam, an laudatus liber Lutherum omnino primum possessorem suum agnoscat? Si, quae ad probandum attulerimus argumenta, fuerint expensa, nemo profecto inuenietur, qui in scirpo quaerat nodum. Age nunc uideamus ipsum librum, cuius ligatura munitur corio porcino. In compacturae tabella priore nomen MARTINVS LVTHERVS, a bibliopego impressum, superius se dat conspiciendum, inferius APOPHTH. In posteriore tabella exstat annus, quo liber compactus est, 1543. Roboris uero plus tribuendum est probationi, quam desumimus a manu, sive a modo ductuum Lutheru in scribendo usitatorum, qui mihi, manu eiusdem scripta cui alioquin cernere contigit, aliisque compluribus, sunt notissimi. Accedit huc grauior et liberior oratio, qua Lutherus, libri margini aliquid adscribens, uititur, ex qua ipsa, quemadmodum ex cantu quaelibet anis, heroica huius uiri summi persona potest ab aliis dignosci. Neque flocci faciendum est de possessoribus prioribus, ad quorum manus e Lutheri fato perfuncti bibliotheca hic liber perue-

A

nit,

nit, cuiusdam testimonium eruditum, deinceps producendum, quo, quae in libri rubro Lutherus adscripsit, uere eidem tribuenda esse, etiam confirmare possumus. Atque ea, quae ab aliis, nescio cuius, possessoris manu, post Lutheri obitum, in hoc libro etiam adscripta sunt, nullius momenti cogitata, a modo dicti uiri beati scriptione quilibet facile potest discernere.

§. II.

ADSPICIAMVS paullo curatius titulum, quo ipsum hoc Erasmi opus prodiit; et quidquid ibi habetur singulare, paullum considerasse haud poenitebit. Plenior libri, denuo post Erasmi e uita excessum editi, inscriptio haec est: *APOPHITHEGMATVM OPVS cum primis frugiferum, uigilanter ab ipso recognitum auctore, ex greaco codice, correctis aliquot locis, in quibus interpres Diogenis Laertii se fellerat.* DESIDERIO ERASMO ROT. AVCTORE. Inferius haec adjiciuntur: *SEB. GRYPHIVS EXCVDEBAT LVGDVN NI ANNO 1541.* Paginae medium occupat insigne typographi, qui maxime celebratis eruditissimisque librorum impressoribus, Stephanis, Frobeniis, Oporino, Vechelio, Elzeviriis, aliquis, est aggregandus. Gryphii librorum editiones, ob summam in iis adhibitam diligentiam, erudi non possunt non facere plurimi. Eundem hac de caussa in *PETRI BAELII dictionario historico-critico* locum nancisci, ubi, qualis uir fuerit, curate aperitur, non est, quod miremur. Laudati Gryphii quod attinet insigne, erudiat nos de eodem, similibusque aliis, IO. CONRADVS SPOERLIVS, doctissimus apud Norimbergenses uerbi diuini minister, in *introductione in notitiam insignium typographicorum*, Norimberg. et Altorf. 1730. Verba eius, quae pagina 33. exhibentur, haec sunt: *illae figurae*

figurae sine dubio primae adriserunt typographis, quae imaginem in nomine ipsorum latentem exprimere potuerunt. Quid erat e.g. Habrio cuidam *Wolfioque*, talia signa sibi conuenientia inuenturis, magis in promptu, quam galli lupique pictura? Ita IOANNES GRAPHEVS, dextram calamo scribentem, IOANNES GRANION, grandes iuncos (de grandis ioncs) ex palude surgentes, GALIOTVS PRATENSIS, nauiculam, quam Galioe vocant galli, PETRVS PAVLVS PORRVS, qui primum psalterium polyglottum impressit, porrum cum duplice litera P. P. CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS, ranas, ADAMVS PETRVS, maluum, contundentem petram, SEBASTIANVS GRYPHIVS, gryphum, IOANNES PVTEANVS, puteum, cui mulier illa samaritana adscidet, FRIDERICVS PEYPVS, qui se et ARTEMISIVM vocat, artemisiam, herbam Germanis *Beyfus* dictam, et similiter sexcenti alii formas animalium, aut arborum, aut rerum aliarum, cum quibus communne nomen gererent, librorum in sua officina excusorum aut ueneuntium insignia esse voluerunt.

Sed quid huic diutius demoremur insigni, quum in libri titulo, longe quod gratius est et iucundius, restet, cuiusque caussa, hoc, quidquid est schediasmatis, euulgamus, nimirum illud, quod a Lutheri manu adscriptum cernimus, quodque ita se habet: *liber odiorum in Christum et suos*; et paullo post: *ut nulla religio et omnis religio sit idem*. Tametsi Lutherus, beatus vir, numquam exstitit eruditionis humanae reprehensor, utpote cuius ipse erat longe amantissimus; et licet utique ferre potuisset Erasmus a profanis sapienter dictorum collectorem diligentissimum: tamen huius ipsius nimia in hisce omnibus consarcendi sedulitas, nimia hinc elucens illius de profanorum uitae rationibus opinio, horumque sententiarum nimia admiratio, Lutherο,

qui multo praestantioris gustum habebat sapientiae, erat molestissima, planeque suspecta. Si non haberet animum tam irreligiosum, tam amoris in Deum expertem, tamque a Christo alienum Erasmus, quidquid eidem ingenii esset facultatum, ipsum in augendis diuinioribus scientiis, finibusque regni seruatoris dilatandis, fuisse potius colloccaturum, acutissimus perbene perspexit Lutherus. Paullo asperius qui locutus esse uidetur, hic ipse pie colendus vir, non infeliciter defenditur ab aliquo priorum huius libri possessorum, qui haec calamo suo subiunxit: *Manu sua scripta uerba haec b. Lutherus. Miratus sum primum, quo fundamento impietatis huius accusare potuerit Erasmus. At quem uerba Erasmi in colloquio conuin. relig. (*) legisem: nix mibi tempero, quin dicam, sancte Socrates, ora pro nobis, et paulo post: ipse mibi saepe non tempero, quin bene ominer sanctae animae Platonis et Flacci: tunc calculo meo Lutheri sententiam comprobare non dubitavi.*

S. III.

PROGREDIMVR ad Erasmi epistolam nuncupatoriam, qua *Guilielmum* appellauit, *ducem cliuensem et iuliacensem*, quamque libro huic proœmii loco praetexere uoluit. Ex hac ipsa quum iam in diatr. priore, §. VI. non nihil adlegauerimus præfatione, alioquin industrie conscripta: commemoranda modo hic est Roterodami nostri iactatio, qua refertus, ea, quae profanorum scriptis collegisset, apophthegmata, tam esse egregie dicta, ut non aliud argumenti genus principi, præserim iuueni, magis sit accommodum, isti cliuensium duci persuadere conatur.

Caui-

(*) In editione, quae Amstelodami anno 1655, ex officina elzeviriana prodiit, pag. 132.

Cauillator hinc iustus atque pius exstitit Lutherus, qui haec margini adscriptit: *sola apophthegmata statim per omnia fructificant*, Quibus uerbis inconsiderantia, certe non minima, qui saniora edocet esse debebat, Erasmo exprobratur. Non enim inscius is esse poterat, in litteris multo praestantiora comprehendendi sanctioribus, (*) quibus princeps fideliter imbutus longe felicius prouinciis a Deo sibi traditis praeosit, homines sibi subiectos prudentius moderetur, quam his omnibus, non quidem plane contemnendis, audie arreptis, quae sapientes a ueri numinis cultu alieni tradiderunt. Erasmus quidem uoluit probus et prouidus uir, ac de aliorum salute sollicitus haberit admonitor, quando epistolae suae addit clausulam, qua principem suum monet, uelut meminisse, in hoc acute dictorum fasciculo *non christianorum, sed ethnicorum, se apophthegmata legere, uidelicet ut legat cum iudicio.* At qui interiora uersuti et flexiloqui Erasmi satis

A 3

habet

(*) Quidam mihi iam in mentem uenient libri, non sine maximo oblectamento a me peruolutati, quibus, quae praescribit principibus ac magistris officia scriptura sacra, exponuntur. Sunt uero sequentes: 1) *10-ANNIS SCHWARTI Regentenstafel, darinnen vashlgegründeter christlicher Bericht von der Obrigkeit Stand, Namen, Amt, Glück, Tugenden, Laßtern, Nutzen, Schaden, Belohnung und Strafen*, Lipsiae, 1583. 2) *DIETERICI REINKINGII bibliche Policey*, Francofurti ad Moenum 1656. 3) *Salomo, oder Regentenspiegel*, vorgetheilt aus den ersten Capiteln des ersten Buchs der Koenige. Habetur hac tractatio in D. TO. BALTH. SCHVPPHI litterarum monumentis, atque in editione mea est commentatio prima. 4) *VITI LUDOVICI a SECKENDORF* liber in omnes perulgatus, teutscher Eurstenstaat. 5) *Eiusdem Christenstaat*, libr. II, a Cap. VI, usque ad Cap. XIII. 6) *THEOPHILI GROSGBAVERI Wächterstimme*. Capitis XVI, rubrum hoc est: *Von den hinläßgen Händen der Obrigkeit, als der dreyzehenden Ursache des ungötlichen Wesens in der evangelischen Kirche*; in qua dissertatione, quae magistratum, rerum praecipue intuitu ad religionem pertinentium, sicut officia, ex scripturae diuinioris auctor ostendit effatis.

habet perspecta Lutherus, non sine causa calamum sumit, haec adiiciens: ergo christiani nihil sunt ad illos. Profanorum enim sapientiae aquis turbulentis saepe plus tribuere Erasmus, quam limpidis ueritatis caelestis fontibus, ideoque iis, quae tam pulchre loqui uidetur, incauto lectori suctum facere; de eo credere omnino possumus Lutheru, a temerariis et inconsultis cauenti sibi iudiciis.

§. III.

QVEMDAM aperte impietatis insimulanti quum non temere fiat fides, aetori onus etiam incumbat probandi; Lutherus uero bene expendens, litteram scriptam manere, et tradi saepissime post longa temporum interualla posteris; neque ignorans, nullius hominis immeriti, uel nobis infensi, famam esse atterendam: uariis in locis huius apophthegmatum operis ea, quae libri titulo, et praestationi, adscriptis, planius iuit comprobatum. Quando enim modo dictum opusculum, odiorum in Christum et in suos librum appellat, atque Erasmo nullam religionem et omnem religionem unum idemque esse perhibet: ponderat paullo curatius id, quod libro II, quo, inter alia, prisa Lacedaemoniorum instituta recenset, pag. 126. num. 18. se legendum offert. Verba Erasmi haec sunt: *uicinorum familis perinde ut suis uti, mos erat, si quando quis opus haberet. Itidem et canibus et equis, nisi forsitan his tum opus esset hero. Quin et ruri si qua re quis egeret, apertis foribus, et ablatis ab eo, qui habebat, ad usum praesentem accommodis, obsignabat locum, unde abstulerat, atque abibat. Inter huiusmodi mores, ubi locum inueniret insatiabilis avaritia? Vbi rapacitas aliena pro suis vindicantium? Vbi supercilium e diuiniis sumptum? Vbi latronum immanitas ob aliquantulum nummorum uiatorem ignotum et*

inno-

*innocuum iugulantium? Diceret hos germane christianos, si pro Lycurgo
Christum natli fuissent legum latorem.*

Temperare sibi non poterat, quin seruore diuino inflammatus ad nauiter impudentis Erasmi uerba adscriberet Lutherus: *Ecce odium in Christum!* Quod enim hic perspicax uir ad libri titulum apposuerat, id ipsum hoc loco digito quasi demonstrat; eum docens se praebere Erasmus, qui nesciat, Christum non ferendarum legum nouarum, sed generis humani in summi numinis gratiam cruenta morte restituendi causa, derelicto caelesti throno, humana indutum natura, nos accessisse mortales. Antea quidem esse inquirendum, credimus, an ea omnia ita se habeant, quae narrantur de Lacedaemoniis, atque an hi ipsi uere sint laudandi? Etiamsi nos adduci pateremur, ut ipsis fidem adhiberemus narratiunculis: quemlibet tamen religionis christianaæ elementa dextre edoctum intelligere arbitramur, tantum opera gratiae, ut loquimur, a uirtutibus, quas naturae humanæ uires producunt, differre, quantum aera distant lupinis. Ideoque iniquissime aduersari Christo, seruatori tam dulci, tam iucundo, tamque gloriando, Erasmus, qui aliter sentire non erubescat.

Sed ne uno loco diutius detineamur, ad aliam horti erasmici aream transeamus, aliud flosculum decerpturn, eumque projecturi. Habetur hic eodem lib. II. pag. 140. in apophth. Chilonis Laconis; estque decimum eo rediens, non esse tentanda, quae fieri non possunt. Erasmus ita commentatur: *quaedam honesta sunt ac magnifica, sed magno reipublicae malo tentantur, si nequeas persicere.* Atque haec est præcipua pars boni consultoris, dispicere non solum, quid per se optimum sit, sed quid pro temporum ratione possit obtineri. Ex Lutheri calamo, quae in margine conspicuntur, haecce uerba exciderunt: *ut Christi religio sit nihil.*

Mon-

Monstrat illis, uafritiem commendare Erasmus, indistincte et promiscue res omnes considerantem, minime uero simplicitatem christianam, quae omnino uelit, ut uniuscuiusque rei natura et indeole, ex Pauli apostoli, 1 Thessal. V, 21. sententia, diligenter explorata, eam eligamus, eique pretium constituamus, quae reuera est bona, immo optima atque praestantissima. Quae omnia suo commodo atque gloria metitur, ratio mortalium corrupta, laudat Roterodami nostri effatum, tamquam prudentissimum. Sed homo caelesti gratia illuminatus, multis licet obstruatur difficultatibus, id diuino auxilio suffultus, quod est optimum, consequitur, eoque spiritus contami- nati ingratiis perfruitur. (*)

§. V.

FVRFVRIS eiusdem inueniuntur plura in libro saepius iam nuncupato, ex quibus colligere licet, uerissima esse, quae sub calcem epistolae nuncupatoriae adscriptis Lutherus, nimurum quod *christianis praeferat ethnicos* Erasmus longissime. Pro pietate enim profanorum, tamquam pro aris et soscis, dimicans, libro II. in apophth. Chilo-

nis

(*) Animo in Christum impio, vel plane infenso, fuisse Erasmus, intellexit etiam M. IO. LACOBVS MVLLEVRVS, in disputatione publica tenae 1667. habita, de Schilo in Silenum, atque Moše in Bacchum a profanis conuerso. Quando enim monstrosa quaedam a gentibus profanis profecta exposuit, haec pag. 5. addit notabilia: *Illiū uero est intolerabile prorsus, quod, qui se uerae Christi ecclesiae nomine efferrunt, in his se delent adeo, ut turpissimum Sileni nomen in seruatorem nostrum Christum, qui est uerus ille Schilo, de quo patriarchae Iacobi Ignea cantio, transferre non erubefcant.* Desid. Erasmus, tum aduc amatus et honoratus a pontificiis, Christum dominum Silenum appellare ausus est in Silenis Alcibiadis, quem secutus est Io. de Carthagena, Hispanus, qui Hom. Cathol. tom. 2. de sacris arcanais desparas et Iosephi, hom. 7. num. 4. Christum Silenum dixit, beatam uirginem Pandoram.

nis Laconis, num. 6. pag. 139. 140. Erasmi calamus nobis haec tradidit legenda: *Iam grandaeus (Chilo Laco) dicebat, se sibi nullius facti conscientiam esse, cuius poeniteret, uno excepto, quod quum esset adscitus. arbiter, ut inter duos amicos finiret controversonam, nec quidquam uellet aduersus leges facere, persuasit alteri amico, ut ad alios, deferret arbitrium. Hoc pacto et legem seruanit et amicum. Hic scrupulus non nihil mouebat sensis animum, quod perfectae uirtutis fuisset, nullo metu a regula legum defletere, nec illius amicitiam magni facere, qui ob sententiam secundum leges, non secundum ipsum, datam, desineret amicus esse. Quid illa sanctius anima (Chilonis) qui per omnem uitam, quae illi longa contigit, hoc tantum criminis admisit.*

Lutherus, qui, quid in animo Erasmi sedeat improbitatis pueritatisque, non est inscius, adscribit: *ergo nec Christus sanctus, nec nullus homo Dei.* Tantum enim Chiloni, pro uirtutibus splendida uidenti uitia, tribuit imprudentissimus Erasmus, ut infinitae sanctitatis, iustitiaeque, qua nobis omnia comparauit bona, seruatorem turpiter praeterereat, pietatemque hominum a diuino spiritu excitatorum pro nihilo ducat.

Atque, si ex animo et uere, quid sentiamus, dicere licet, poetas, non graues et sapientes, sed spiritus humillimi, stulte et incaute imitari nobis uidetur bonus ille Roterodamus. Dum ita censemus, miniime sumus iis adiungendi, qui artis poeticae contemptum prae se ferunt: quippe quum nos eamdem ipsimet doceamus, inculcemos, et exerceamus. Diuinam hanc esse disciplinam, iure meritoque arbitramur, eiusque, si non inuentorem, ut ita humano more loquamur, certe approbatorem et adiutorem, spiritum illum sanctissimum dicendum esse, haud temere credimus. Etenim pri-

mos huius instinctu exsuscitatos esse poetas atque poetrias, ex sacris condiscimus litteris. Mosis certe, ipsius sororis Miriamae, Deborae, Dauidis, aliorumque, poemata sunt notissima. Quapropter hebraeorum poetae non nulli aetate multum praecesserunt graecos, Homerum atque Hesiodum. Grauissimas uero spiritui sancto poesin in lucem proferendi fuisse caussas, nimurum, quae non satis extolli possunt, diuina attributa et opera, per tropos ac figuratas, per que omnem orationis exornationem, extollendi, quilibet, me non uberiorius demonstrante, statim perspicit.

Iccirco sacrilegium admitti, idoneis ducti argumentis, iudicamus, si poesis illa caelestis ad uirtutes hominum exiguae, mancas, et non raro plane fucatas, adhibetur nimis euehendas. Homo profecto si, quidquid ad officii sui rationes pertinet, curatissime exsequitur, considerandus tamen est, ex scripturae sacrae sententia, seruus supremi numinis inutilissimus. Si quid igitur legi diuinae mortales peragunt consentaneum, parce id atque caute est laudandum. Deo potius optimo, qui homini ad bene agendum intellectum subministrat, atque reliquas facultates, uera laus est unice impertienda. Hinc quam profani, impii et prodigi sint plurimi poetae in praeconiis huic uel illi homini minus digno tribuendis; quamque, ut, data iam occasione, huc transferamus, improuidi inueniantur et creduli theologorum non pauci in sacri argumenti librorum, quos edunt, dedicationibus, quibus simulacra uirtutum inania, licet nitentia, saepe mirum in modum laudant: id ipsum nos non sine summo animi dolore intelligimus; periculumque, quod eiusmodi poetae ac theologi animae suae immortaliter moliantur, nec minus perniciosum exemplum, quod humilitate sane turpissima aliis prodant, nobis,
qui

qui rem aliter plane se habere optamus, ante oculos non potest non uersari.

§. VI.

PAVLLVLVM a proposito digredienti mihi redeundum est ad apophthegmatum opusculum nondum e manibus dimittendum. Transulerim inde huc, quod, euoluto libro octauo, circa illius medium, pag. 575 habetur, ab Erasmo enarratum sequens: *Titus Vespasianus fratrem Domitianum, insidias molientem, non est ultus, sed his uerbis admonuit: quid opus te parricidio petere, quod me uolente obuenturum est, immo quod iam babes imperii particeps? Haud temere in Christiano reperias tantum mansuetudinis. Indignabundus, simul et in Erasmi ludibriu, haec tradit sua manu Lutherus margini: nec in sancto Paullo apostolo.*

Exprobrat is Erasmo hisce animi praeccipitantiam, quod nolit perpendere, quae incommoda, quam egestatem, quam contumeliam, quae uerbera, quos dolores et casus infestos is ipse, Christi exemplo et praecepto perfectissime doctus, supremoque spiritu impulsus, diuinus apostolus, quem Erasmi heroi Lutherus opponit, fuerit percessus, quorumque series ab eodem 2 Corinth. XI. longior ob oculos ponatur. Fieri non posse, simul innuit Lutherus, quin cuius actus apostolicos paullinasque epistolias, non leuiter attingenti, sed, quo par est studio, peruestiganti, penitus sit perspectum, quanta mansuetudinis dederit specimina apostolus diuinae gratiae donis instructus; cui homo naturalis, sibi suisque uiribus rejectus, licet imperator, Titus Vespasianus, ne minima quidem ex parte sit comparandus.

§. VII.

QVAM porro despiciisse dicamus Erasmus, qui, nescio qua ridicula diligentia, uirginem, quae legi pudicitiae se minus adstrinxerat, inuestigauit; quam tamen ex hac sola ratione, quia est La-
caena, ideoque christianorum sacris haud addicta, Erasmus bonam ex parte existimauit et honestam. Attendamus ipsum libr. II. pag.
137 num. 33 ita scribentem : *uirgo quaedam clanculum corrupta, foetum extinxit, tam interim patiens dolorum, ut nullam ederet no-*
cem, adeo ut parturiens et patrem, et alios, qui aderant, falleret. Nam magnitudinem cruciatus turpitude cum honestate coniuncta super-
rauit. Haec adscribit Lutherus : *turpitude cum honestate? o Erasme!*

Refutat hisce paucissimis pugnantia inter se in adspectum lucem-
que proferre non erubescet Erasmus. Etenim in honestissimae tri-
buere uelle feminae honestatem, nihil aliud est, quam tenebras ap-
pellare lumen, et carbones thesaurum. Atque quod illa deflorata
uirgo parturiens dolores, patre praesente, dissimulauerat, id uirtutis
amori minime adsignaueris, sed metui malorum inde exorientium.
Interim quum mulieri isti infami fortitudinem animi attribuendam esse
existimat Erasmus, et hoc nomine, tamquam pallio probrum tegen-
dum; merito in ipsum Lutherus inuehitur, calamo suo, quod sequi-
tur, adiciens : *haec tu excusas titulo fortitudinis?*

Sed quid opus fuisset Luthero, pluribus locis Erasmus sibi
sumere refellendum, quum eumdem in refutatione a semet ipso im-
prouide dictorum acutus et perspicax vir deprehenderit. Namque
quando Erasmus refert, libr. II. apophth. num. 29 pag. 143, Chilo-
nem dixisse, *sic esse contemnendam mortem, ut nibilo fecius curam ha-*
beas incolumitatis; et quando Roterodamus noster apponit, *non esse*
forti-

fortitudinis, sed amentiae, semet temere in uitae discrimen conicere:
Lutherus haud nescius, immoderata laetitia ex nuncio de praemio
a filio in iudicis olympicis reportato, percepta exstinctum esse Chilo-
nem, quo sanctiorem, quemadmodum supra §. V. pag. II. accepimus,
credidit inter mortales neminem Erasmus, hunc ipsum inconsideratissimae
temeritatis iudicem albis dentibus meritissimo deridet, haec
margini adscribens: hic Laconem recte pingit, sui ipsius homicidam.

§. VIII.

SENTENTIAM igitur, quam pronunciauerit Lutherus de
 Erasmi apophthegmatibus, et quam in non nullis explodendis prae-
 se tulerit ingenuitatem, satis hoc usque intelleximus. Speciem exi-
 mie dictorum etiam si habent, quae elocuti sunt homines a seruatoris
 scitis alieni: rerum tamen imperitoribus obiciunt glaucoma, et ali-
 quid saepenumero alunt monstri. Sacrarum litterarum historiaeque
 ecclesiasticae, si, qua conuenit sedulitate, peroulutamus scriptores:
 Christianorum, qui non fucata in Deum sunt pietate, percipiuntur
 effata atque apophthegmata magis commemorabilia. Etenim ani-
 mum immunditiis sanguine Christi sacrosancto liberatum uerus possi-
 det christianus, (*) quem spiritus ille supremus habitans, eiusdem

B 3

ipsius

(*) Veros christianos, quos hic breuiter adumbramus, rarum esse hominum genus, longissimeque differre ab illorum multitudine incredibili, qui uano
 nefarioque ausu Christi uestigia persequentium nomen sibi imponunt, id
 proorsus nesciuisse Erasmus, haudquaquam contenderimus. Sed quia hic
 alias celebratus vir omni cogitatione ad litterarum hominum profano-
 rum ferebatur; ideoque uiuas et efficacis Iesu Christi cognitionis, verae-
 que adeo apud Deum laudis, gustum ipse non habebat: ad apophtheg-
 mata sua quidquid scriptare in mentem ueniebat, id non diligenter cum
 animo

ipsius ex ore, blanda interiore cohortatione, uerba salutariter alios commouentia elicit; atque, quauis loquendi occasione data, illi in memoriam redigit Paulli apostoli admonitum, olim Colosensisbus in epistola ad eosdem cap. IIII. com. 6. prescriptum, ex quo, qui Christo nomen dederunt, orationi gratia praeditae, ac sale conditae, debent studere.

Quod diuini legati dictum, si, qua decet ratione, fuerit a nobis custoditum: euademus etiam tunc, ueluti Lutherus, idonei, qui, quo quis spiritu ductus uocem edat, uel aliquid litteris consignet, explorare ualeamus. Quod si animaduerterimus, alios non ea proloqui, quae nutui diuino sunt consentanea, quamuis pulchre dicta et apophthegmata non nullis uideantur: nos, quibus meliora sunt perspecta, sermonum, beneficia seruatoris dulcissimi complectentium, quantum fieri potest, praebeamus materiem. Sic, supremo numine opitulante, plures spiritualiter lethargicos expergesfaciemus; sicutque hoc modo diu exoptatorum temporum initium, quibus Dei O. M. eiusque filii unigeniti, gloria multorum sermonibus diuulgetur, totaque terrarum orbe, ex uoto omnium Christum amantium, diffundatur. P. P. Halberstadii, d. XIII. Nouemb. CLO CC LIII.

animo suo reputauit. Cautior alioquin atque circumspectior fuisset, neque tot absurdia et impia protulisset in medium. Spectant huc, quae paullo copiosius dixi in diatribe priore, §. VIII.

Die Namen und Themata der Redner.

1. Ernst Friedrich Ludewig von Windheim,
von Ermsleben, redet von dem ungemein vorteilhaften Gebrauche der Sprache; oder der Fähigkeit, mit Begriffen verknüpfte Töne von sich zu geben, französisch.

2. Jo-

2. Johann Wilhelm Martin Seyer,

aus Halberstadt, von der eigentlichen Beschaffenheit der sinnreichen Sittenlehre der alten griechischen Poeten, sonderlich eines Homerus und Hesiodus, lateinisch. Die aus mancherley Ursachen nothwendige Lesung gedachter Dichter in den Schulen muß so angestellt werden, daß junge Leute eine Neigung bekommen, die weit vorzüglichere Sittenlehre der h. Schrift emsig zu studiren.

3. Johann Heinrich Christian Engelmann,

aus Püslingen im Hohensteinischen, von der Gründung unserer Glaubenslehre auf Geschicht, welche vollkommen zuverlässig und höchst merkwürdig sind, teutsch.

4. Jacob Catel,

aus Berlin, von den Fehlritten, die man im Denken und Schliessen thun kan, aller Einsicht in die Metaphysik, und allgemeine Wahrheiten, unerachtet, lateinisch.

5. Johann Carl Wilhelm Sandrart,
Georg Ludewig Christian Barrels, und
Philipp Daniel Sandrart,

drey Halberstädter, von der Neigung, die ein jeder zu einer gewissen Lebensart verfürt, in einer teutschen Unterredung. Der erste gibt mit wenig seine Liebe zur Rechtsgelehrsamkeit zu erkennen. Der andere dagegen sucht den Ackerbau der Kaufmannschaft vorzuziehen, und wünscht sich, bey dem Studiren seine Tage auf dem Lande zuzubringen. Der dritte aber findet nicht geringe äußerliche Vorteile bey der Handlung, und bezeigt deswegen einige Lust dazu.

6. Christian Heinrich Gronau,

aus Croppenstedt, von dem mannigfaltigen Nutzen der Physik, welchen sich alle Wissenschaften von ihr versprechen können, lateinisch. Hiervon wird deswegen geredet, weil auf Schulen der Grund zu diesem edlen Teile der Gelehrsamkeit muß gelegt werden.

7. Friedrich Carl Achenstedt,

aus Halberstadt, von dem grossen Ruhme, welchen sich der allerälteste

C

Schrift-

Schriftsteller, Moses, mit seinem Lebenswandel und Büchern erworben; und von dessen letztem Schwanengesange, 5 Buch Mos. Cap. 32, in teutscher Sprache. Das erste kürzlich in Prosa, das letztere in einem trochaischen Gedichte.

8. Julius Carl Falken,
von Wolffsnbüttel, von dem Petit-Maitre, oder lächerlichen jungen Menschen. Nach Betrachtung der mancherley Gattungen dieser Leute, wird der Ursprung der elenden Beschaffenheit solcher Gemüther dargethan. Den Schluss dieser teutschen Abhandlung macht er mit Herausgung eines netten lateinischen Gedichtes, so der gelehrte parische Jesuit, Xaverius de la Sante auf den Petit-Maitre verfertiget hat, und welches in dessen zu Paris 1732 herausgekommenen Musis rhetorices befindlich ist.

9. Johann August Eberhard, aus Halberstadt, und


Johann August Gottlieb Stegmann,
aus Croppenstedt, von dem, was nach der Naturlehre verirrungswürdig ist beim Essen und Trinken, wodurch man zu einem vermünftigen, und Gott gefälligen Gebrauche desselben kan veranlasset werden, in einem lateinischen Gespräche. Hier wird auch von mancherley Arten, teils der natürlichen, teils der ganz unnatürlichen und abscheulichen Bielsfressigkeit geredet.

10. Ernst Friedrich Ludewig von Windheim,
von Ermsleben, von den schweren Schicksalen, welche den glorwürdigsten Churfürsten von Sachsen, Johann Friedrich den Großmütigen, der 1554 verstorben, in den letzten Lebensjahren betroffen haben; und von der höchstrümlichen Stiftung der Universität Jena, die er noch vor seinem Tode gemacht, welche sein Andenken niemals verlöschen lässt, in einem teutschen Gedichte. Da es eben zweihundert Jahre sind, daß dieser um die evangelische Religion höchstverdiente Herr die Zeitlichkeit verlassen hat: so erneuren wir billig das Gedächtniß von denselben. Die Veranlassung hierzu hat uns gegeben M. Joh. Mich. Weichsfelder, welcher in diesem Jahre zu Frankfurt am Main das Leben, Thaten, Gefangenschaft und heldenmütigen Tod dieses Gottseligen Fürsten umständlich herausgegeben hat.

11. Jacob

II. Jacob Catel,

aus Berlin, von dem wenigen Vorteil, und vielmehr grossen Schaden, welchen die Lesung der Romanen jungen Leuten bringt, französisch.



Texte zur Musik.

Zum Anfange, Psalm 50, v. 14.

O pfere Gott Dank, und bezahle dem Höchsten deine Gelübde.

Nach der ersten Rede.

Es ist ja, Herr, dein Geschenk und Gab, mein Leib ic.

Nach der zweiten Rede.

O Vorzug vor der Heidenschaft!
Der Vater der Lichter will Licht und Recht reichen.
Durch Mark und Bein will sein Wort dringen,
Auch uns des Trostes Balsam bringen;
Und dessen edler Gottes Kraft
Muß heidnischer Weisen berechte Kunst weichen. V. A.

Nach der vierten Rede.

Beschau ich mich Aermsten von aussen und innen,
Umgibt mich nichts, als Dunkelheit.
Ach ja! es fühlt mein bebend Herz
Der tief geschlagenen Wunde Schmerz.
Die lässt mich so wenig vom Lichte gewinnen;
Sie wirket stets Verdruss, und meiner Sinnen Blödigkeit. V. A.

Nach der sechsten Rede.

Ich gönne jeder Kunst gern ihre Ehrenseulen.
Jedoch die Wissenschaft der gütigsten Natur,
Die mich führt auf der Gottheit Spur,
Reizt mich mit ihrem Glanz, ihr nachzuilelen.
Sie hat ein Reich, das dreyfach prangt,
Woran sich Aug und Ohr ergötzt,
Ja jeden in Erstaunen setzt,
Woran das Wohl so vieler Künste hängt. Bes.

Beschäftigt sich der Witz mit Thieren,
Kan man die Allmacht spüren.
Man sieht verwunderungsvoll, daß schlechter Krauter Kraft
Verlohrne Stärke wieder schaft.
Erz, Gold, Jubel und Edelstein,
So Berg und Schacht uns zolleth,
Das nach des Höchsten Wink, ihr Menschen, brauchen sollet,
Muß in der Erden Schoß ganz unermäßlich seyn.
Gott, wie beschenkst du uns so reichlich hier auf Erden,
Was wird in jener Welt uns werden?

Nach der achten Rede.

Ist denn die Welt mit Thoren überhäuft?
Es schätzen sich die dunkeln Geister
Für grosse Meister,
Ob man die Schwäche schon mit Händen greift.
Wer bey den Gläsern schwizet,
Nach Aemtern lauft,
Den Rang, ich weiz nicht, wie, erkaufst,
Der ifts, der so, wie er sichs wünschet, sizet.
Soll man darüber lachen,
Was falscher Wahn und Eitelkeit
Dem Menschen prophezeit?
Soll man die Neime spitzig machen?
O nein! es seufzt, wer dis bedenk,
Wie sich der Unverstand selbst seine Rechte kränkt.

Nach der neunten Rede.

Hör doch auf Christum, unseliger Fresser und Säuffer,
Und werde aus dem Traum erwelt.
Du wirst nicht deines Rechts Verkäuffer,
Wenn dir erst jenes Manna schmeckt.
Und so wirst du auch der Sorgen des Bauches dich schämen,
Belehrt dich nur erst jener Geist.
Du lässeft sich die Heiden grämen,
Und denkt, daß Gott dein Vater heist.

Zum Schlusse.

Solt ich meinem Gott nicht singen, solt ich ihm nicht dankbar seyn ic.




AB:753875

KD 78



R



Aug. 26 501 18

DIATRIBE POSTERIOR
QVA DE
DESIDERII ERASMI ROTERODAMI
**APOPHTHEGMATVM
OPERE**
IN PRIMIS DE HVIVS IPSIVS EXEMPLARI
QVOD BEATISSIMVS VIR
D. MARTINV S LVTHERVS
OLIM POSSESTIT
CVI QVE IS IPSE COMMEMORABILIA ADSCRIPTIS NON NVLLA
QVAEDAM DISSERIT
QVI SINGULARIS HVIVS LIBRI IAM POSSESSOR EST
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS HERTEL
AED. A SPIR. S. DICT. PAST. ET MART. RECT.

IDE M SIMVL INDICIT
ACTVM DECLAMATORIVM
IN MARTINEO HALBERSTADIensi
A. D. XV. NOVEMB. HOR. IX. ANTEMERID. CLOCCCLIII.
DEO O. M. PROPITIO HABENDVM
CVI QVE VT BENEVOLE INTERSINT
IVSTVM QVI ELEGANTIORIBVS LITTERIS
CONSTITVVNT PRETIVM
OMNI STUDIO CONTENDIT.

HALBERSTADII TYPIS FRIDERICIANIS

